

D e G e o g r a p h o R a v e n n a t e.

Appendicis loco nonnulla de *Geographo Ravennate* monita huic dissertationi adjungere non duco supervacaneum; eo minus quod passim a Viris Doctis animadversum est, multa eum ex Orbe Picto suo inseruisse confuso operi; simul quoque, ut meae de auctore opinionis reddam rationem. Hominem insipidum hunc visum esse profiteor, nec minus mendacem, qui e scriptoribus sibi soli cognitis sua se desumisse gloriatur, nominaque locorum credulo lectori offerat inaudita, ut difusae suae eruditionis prae se ferat testimonia. — Hominem insipidum esse, de eo quidem constat; de mendace retracto sententiam, quum appareat, multae lectionis fuisse virum, et ad manus habuisse quinti, sexti seculi scriptores nobis deperditos.

Ravennae eum natum esse, id ipse indicat geographus; de nomine parum liquet; tempus quo scripsit seculo nono adjungendum esse censeo; in Italiae enim descriptione mentionem infert *Imperialis Estratae*, quam antiquam viam Aemiliam fuisse provinciae additum nomen docet, in Caroli Magni honorem tunc alio nomine insignitam; in Daniae praeterea expositione e sua cognitione refert: „Quae Dania modo *Nordmannorum dicitur patria*;“ antiquiore aevo nec viae neo Nordmannorum nomen cognitum erat.

Is pro Christianorum proxime praecedentium seculorum more totus in eo est, ut monstrat, orientem versus aditum hominibus patere ad Indiae extremas partes, ad ulteriora accessum esse denegatum, in illis regionibus a Deo quod collocatus sit Paradisus haud adeundus mortalibus; omnem nostram autem terram divisam esse inter tres Noae filios, quorum singulas portiones distincta denotat distributione. Eum in finem continens in partibus meridionalibus duodecim diei horis assignitur, septentrio totidem noctis horis, quibus sol sub oceano mersus procedat. Hanc ut suo modo stabiliat subtilissimam disquisitionem, locos sibi faventes conquirit e Bibliis sacris, vel e Patribus ecclesiasticis, quos eum re vera legisse ex hoc ipso patet; cunctos honorifice memorat, excepto tamen Porphyrio nefando, quem nunquam nisi addito epitheto inducit abominationem testante.

Ut autem probet Ravennas, se suo jure haec pro certis declarare posse, omnium terrae regionum descriptionem addit dissertationi; id est earum situm qualem sibi animo fingebat, disponit, nomina praeterea locorum et fluminum; innuens se vel et ampliora, promontoria, milliarium numerum, cognita habere, nec tamen prolaturum, ne opus evadat prolixius.

Per expositionis seriem agnoscas virum multae lectionis, sed nullius judicii. Sollicite denominat scriptores e quibus sua desumserit, in quorum tamen numero antiquorum vel Graecorum vel Romanorum nullus apparet. Ptolemaeus omnium illi antiquissimus; hunc in auxilium passim vocatum esse e nominibus ex illo desumis certum est, certa simul hominis inscitia, Ptolemaeum regem Aegypti e Macedonum prosapia ortum declarantis. Omnes alii ab illo adhibiti scriptores sequioris aevi sunt, quo-